

FRANCISCUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI Venerabili Fratri HIERONYMO BEAU, hactenus Episcopo titulo Privatensi atque Auxiliari Parisiensi, Archiepiscopo Bituricensi destinato, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pro spe mundi electi ac positi, ut eamus et fructum afferamus, qui maneat, ac mandatum mutuae caritatis contra odium mundi adimpleamus (cfr *Io* 15, 16-18), ad imitandos Apostolos vocamur, sicuti dispensatores fideles mysteriorum Dei et ipsius passionis Christi consortes, qui maledicti benedicimus, persecutionem passi sustinemus, blasphemati obsecramus (*I Cor* 4, 13). Quam apostolicae missionis rationem meditantes, paterna dilectione ad spirituales necessitates mentem flectimus gregis Bituricensis, qui post renuntiationem postremi sacrorum Antistitis sui, Venerabilis Fratris Armandi Maillard, novum exspectat vitae dioecesanae moderatorem. De te ergo, Venerabilis Frater, cogitavimus, qui, multis cumulatis meritis pastorali in officio tuo Auxiliaris in Archidioecesi Metropolitana Parisiensi exercendo, optimam adeptus es aestimationem ac spiritualibus una et humanis dotibus ornatus videris, quae aptum te efficiunt ad hoc munus explendum. Proinde, audito consilio Congregationis pro Episcopis, Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, te, superioris titularis Ecclesiae vinculo atque Auxiliaris munere resolutis, Archiepiscopum BITURICENSEM constituimus, debitis datis iuribus congruisque impositis obligationibus. Hoc de Nostro decreto edoceas volumus clerum et populum huius ecclesialis communitatis, quam exhortamur, ut te patrem diligendum, magistrum audiendum custodemque animarum colendum accipiat. Pleniora haec officia tibi commendantes, Venerabilis Frater, Deum exoramus, qui faciat gregem istum tibi commissum, exemplo tuo ductum ac navitate, in mundo testem ardentem Evangelii ac ministrum caritatis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo quinto mensis Iulii, anno Domini bis millesimo duodevicesimo, Pontificatus Nostri sexto.

FRANCISCUS PP.